Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Polanci Societatis Iesv Theologi, Directorivm Breve, Ad Confessarii, Ac Confitentis Mvnvs Rectè Obeundum

Polanco, Juan-Alphonso de

[Köln], 1617

De peccatis excommunicatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41600

Visual Library

appareat, quod ſententia ſit lata.

De peccatis excommunicatorum.

EExcommunicatus minori excommunicatione peccat, ſi ſe immiſceat participationi ſacramentorum actiuè vel paſſiuè. *Excommunicatus minori excommunicatione.*

Excommunicatus maiori excommunicatione, peccat primo & mortaliter, immiſcendo ſe ſacramentis, & diuinis officijs. Secundo peccat, ſi communicat cum alijs in actibus Eccleſiaſticis: de quibus ſuprà, cùm de affectibus diceretur. Tertio peccat, immiſcendo ſe actibus humanis. Et communiter prohibita, hoc verſu ſignificari ſolent. *Excommunicatus maiori excommunicatione.*

Os, orare, vale, communio, menſa negetur.

Per Os intellige colloquia, literas, nuntios, munera, oſcula, amicitias, &c. *Os.*

Per Orare intellige ſacramenta, orationes publicas, & omnia ſpiritualia. *Orare.*

Per Vale, ſalutationem conſuetam, verbo vel ſcripto. *Vale.*

Per communionem, cohabitare, vel aliquod exercitium commune habere cum excommunicato. Non ita ſi cohabitet, ſed pro diuerſo negotio. Poſſunt & actus aliqui hic excludi, vt electioni, officij, & ſic de alijs. *Communio.*

Menſa. Per Menſam ſimul comedere, & dormire. Tamen huiuſmodi peccata mortalia cenſeri non debent, ſi abſit contemptus.

De peccatis, quæ ab excommunicatione redundant in alios.

Primò, participare cum excommunicatis in Diuinis. Secundò admittere ad ſepulturam Eccleſiaſticam: quod de excommunicatione publica intellige. Tertiò, participare in crimine damnato, vel propter quod quis excommunicatus eſt, & incurrit excommunicationem. Quartò, communicare in humanis actibus prohibitis. Qui tamen participant non in contemptum, nec credendo, ex tali communione venturam eſſe ſententiam in contemptum, nec contra præceptoriam prohibitionem ſuperioris factã peccant quidem, ſed venialiter.

In communicatione cũ excommunicatis ſi abſit contemptum peccatur venialiter tantum.

Caſus liciti in communicando extra diuina cum excommunicatis, hoc verſu continentur.

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Vtile. Vtile, vtrique parti intelligatur.

Lex. Lex ad matrimonium pertinet.

Humile. Humile, ad ſeruos, filios non emancipatos, aut commenſales, famulos, &c.

Res ignorata. Res ignorata, ad ignorantiam facti & juris